



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,  
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

**Rhodes, Georges de**

**Lvgdvni, 1671**

Sect. j. Quid sit categoria, quid ens categoricum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

QVÆSTIO III.

De diuisione entis in decem prædicamenta.

**D**iuisioni entis in substantiam & accidens præpar, & subalternata quodammodo est celeberrima diuisio in categoriis decem, in quibus veluti forulis & scriniis omnium entium digesta series vniuersam exhibet oculis creaturarum rerum varietatem. Dedi eam in Logica rudiori dumtaxat monocromate delineatam, quantum satis erat ad declarandos intellectui thesauros, & quibus operationes suas omnes sine periculo erroris efformaret. Nunc illam ut plenè tradam cum Aristotele, primò dicendum est in genere de diuisione illa entis in genera decem, quas categoriis appellant: secundò de tribus primis categoriis: tertio de relatione: quarto de sex ultimis categoriis. Consideratio autem illa prior categoriarum in genere integra erit, si dicatur quid sit categoria, quid ens categoricum, deinde quamnam entia poni debeant in categoria, postmodò quod duplex sit categoria.

SECTIO I.

Quid sit categoria, quid ens categoricum.

**C**ertum est primò, nomen categoriæ significare propriè prædicationem, seu enunciationem; non quidem formaliter sumptam pro actu intellectus aliquid prædicantis, sed obiectinè pro ipsa re quæ prædicatur; ita ut idem sit *κατηγορία*, quod *κατηγορούμενα*, seu prædicatum, id est id quod de aliquibus dicitur; ideoque appellantur categoriæ vulgò prædicamenta.

**C**ertum est secundò, rectè definiti categoriam, *Est series eorum quæ sunt sub aliquo summo genere*: id est, collectio prædicatorum superiorum & inferiorum à summo genere usque ad indiuidua. Voluit nimirum Philosophus, dum instituit categoriis, diuidere ipsum ens in decem veluti classes, in quibus omnia continerentur, saltem creata, quæ rationem entis participarent. Id ut posset assequi, decem genera constituit, quæ minùs latè paterent, quàm ipsum ens, & haberent singula sub se alia genera, species, & indiuidua. Idèò categoria est dispositio & series eorum quæ sunt sub aliquo summo genere, id est summu aliquod genus sub quo multa sunt prædicata communia, quorum vnum est sub alio, ut patebit ex dicendis de linea categorica. In quouis ergo prædicamento veluti materiale sunt res ipsæ, quæ prædicantur: formale autem est ipsa ordinatio in prædicata superiora, media, & infima, quæ habent eundem essendi, & prædicandi modum.

**D**ifficultas verò esse potest, vtrum categoriæ assignatæ ab Aristotele sint simpliciter summa genera; sic enim statuunt Suarez, & Fonseca. Sed mihi tamen probabilius videtur cum Scoto, Vasque, Auerſa, decem illas categoriis, quas assignauit Aristoteles, non esse summa genera simpliciter, sed tantum secundum quid. Quia

R.P. de Rhodes curs. Philosoph.

**A** nomine generis, quod simpliciter summu esse dicitur, significatur genus illud, quod non est sub alio vilo genere vniuoco. Patebit autem ex dicendis, quod accidens vniuocè dici potest de nouem categoriis accidentalibus. Imò corporeum & spirituale conueniunt vniuocè, tum substantiæ, tum accidenti; potest enim corporeum de ambobus dici, & ab illis abstrahi, & eodem modo spirituale præscindi potest. Igitur decem categoriæ non sunt summa genera simpliciter, sed secundum quid tantum, quatenus sub illis singulis alia sunt vera genera.

**C**ertum est tertio, duas rectè distingui lineas categoricas; altera vocatur recta linea, & est series prædicatorum substantialium à summo genere per genera intermedia descendens vsque ad indiuidua, qualis ista est series: *Substantia, corpus, viuens, animal, homo, Socrates*. Altera vocatur linea transversa, seu lateralis; & sunt differentiæ oppositæ, per quas genera superiora diuiduntur, & constituuntur species, sicut: *Corporeum, incorporeum: animatum, inanimatum*; vnde fit ut tripliciter in prædicamento aliquid dicatur poni, directè, indirectè, reductiue. Directè poni, est poni per se, non ratione alterius; & esse in recta linea categorica: huiusmodi sunt omnia, quæ de indiuiduo prædicantur in quid. Indirectè poni est poni ad latus, & ratione alterius, ad cuius essentiam pertinet; sic enim ponuntur differentiæ omnes diuisiue generum. Reductiue ponuntur ea, quæ non sunt essentialia generibus, aut speciebus, sed cum illis tamen coniuncta sunt. Et hoc saltem modo nihil est quod non ponatur in categoria, ut mox patebit.

Dux lineæ categoricæ.

Tripliciter aliquid est in categoria.

SECTIO II.

Quenam ponantur in categoria.

**C**um tribus, ut dixi, modis aliquid ponatur in categoria, de iis solum hic quaeritur, quæ directè ponuntur; quid nimirum exigatur ut res aliqua in directa ponatur linea categorica: Vbi primò difficultas est, quamnam entia creata sic collocentur: deinde, vtrum ens etiam increatum in ea debeat includi.

§. I.

Quenam entia creata directè ponantur in prædicamento.

**D**ico primò, in prædicamento sola poni entia realia; entia per se, vel per accidens ordinata; entia completa, & concreta metaphysica: entia rationis, aggregata per accidens, entia incompleta, & abstracta metaphysica, locum non habere in linea recta prædicamentali. Quatuor igitur sunt conditiones, ut vides, necessariae ad locandum ens in prædicamento.

Conditiones quatuor.

**P**rima est realitas, quia prædicamenta diuisiones sunt entis realis in plura genera; ens autem rationis pertinere non potest ad diuisiones entis realis: ergo nec ad prædicamenta. Imò categoria est aliquid commune vniuocum; patet autem, quod enti reali, & enti rationis nihil est commune vniuocum.

Realitas.

LLI ; Secunda